

## 1352-1352- OFP - Acta Capitulorum Generalium in Castris Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
Hec sunt acta capituli generalis in Castris celebrati  
anno Domini · M° · CCC° · LII° ·

### Iste sunt inchoaciones.

Incipimus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: Si autem post dictum festum magister decesserit, addatur sic: vel amotus fuerit. Et ibidem cum subditur: ipsius obitus, addatur: vel amocio.

Item. Inchoamus hanc: In ordinario in rubrica, ubi dicitur: de officio beate virginis, ab octavis epiphanie usque ad septuagesimam in omnibus sabbatis, [et] nisi festum simplex vel maius occurrerit, deleatur, quod dicitur: in omnibus sabbatis et nisi festum simplex vel maius occurrerit, et addatur sic: in omnibus sabbatis anni, preterquam a sabbato ante dominicam in quadragesima, usque ad octavas pasche inclusive, nisi festum simplex vel maius occurrerit et preterquam infra octavas alicuius sancti, quando de eis agitur, et in vigiliis sanctorum, que propriam habent missam, et in sabbatis quatuor temporum.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi sic dicitur: Carcerali custodie mancipetur, addatur sic: si quis eciam alteri fratri ordinis vel ipsi ordini crimen falso imposuerit, propter quod crimen secundum nostrarum seriem constitutionum frater aliquis carcerem mereretur, aut huiusmodi fratrum crimina secularibus personis aut extra obedienciam nostri ordinis constitutis revelaverit, unde ordinis vel fratris infamia seu dampnum fuerint subsecuta, modo simili carceri mancipetur. Et nolumus, quod huiusmodi ordinis destructores possint nisi per magistrum ordinis vel generale capitulum liberari. Idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint lusisse ad taxillos, [quos] eciam pene carceris volumus subiacere. Et volumus et ordinamus, quod in isto intermedio tempore hec diligenter et totaliter observentur.

Item. Inchoamus hanc: In ordinario in rubrica de matutinis in sero post completorium dicendis, ubi dicitur: usque ad festum b. Augustini inclusive, deleatur, quod immediate sequitur: et in festo s. Marie Magdalene.

Item. Inchoamus hanc: In ordinationibus ordinis per dominum papam Iohannem [factis] vim constitutionum habentibus, que in fine constitutionum nostrarum sunt posite, in capitulo de electionibus, ubi dicitur: nisi pro officio lectorie, addatur: vel prioratus.

Item. Inchoamus hanc: quod singulis diebus, in quibus de beatis Dominico et Petro martyre fit memoria in fine matutinarum et vesperarum, fiat eciam memoria de beato et sancto doctore glorioso Thoma de Aquino post predictas, videlicet pro matutinis per antiphonam: Collaudetur Christus, cum versu: Rigans montes; in vesperis vero per antiphonam: O Thoma, cum versu: Declaracio sermonum. Et hec omnia superius inchoata medio tempore volumus integraliter observari.

### Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: et per totam ebdomadam, addatur sic: et ad credo in missa ad: ex Maria virgine et homo factus est; et amoveatur de loco, ubi solum inclinari mandatur; et hoc medio tempore observetur. Et hec habet duo capitula.

### Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: unus de fratribus electoribus de qualibet provincia, qui in capitulo provinciali ad hoc electus fuerit, ad diffinicionem cum aliis patribus pariter admittatur, addatur sic: Quod si ad capitulum non venerit, tunc ad diffinicionem elector alius admittatur. Et hec habet tria capitula, et in constitutionibus in dicto capitulo adnotetur.

### Iste sunt ordinaciones, admoniciones et precepta.

Cum ordo noster in soliditate veritatis fundatus, de scienciis vanis et curiosis non curans, sane sciencie et doctrine semper studuerit firmiter inherere, districte imponimus fratribus universis, quatenus legendo, respondendo et determinando nullus audeat assertive tenere contrarium eius, quod in communi doctrina continetur et quod contra opinionem doctoris venerabilis sancti Thome de Aquino communiter creditur extitisse. Quicumque autem per priorem provincialem vel eius vicarium, qui super hiis diligenter inquirere teneantur, in predictis inventus fuerit deliquisse, per eosdem a lectoratus officio vel alia quavis lectione seu studio absolvatur.

Item. Volumus et ordinamus, quod quicumque frater solus extra suam provinciam vel eciam extra conventum sine licencia sui superioris, eciam cum alio fratre discurrerit, penam gravioris culpe se noverit incurrisse; quam sub precepto sancte obediencie per presidentem, in cuius terminis repertus fuerit, facere compellatur. Predictam autem licenciam suorum prelatorum omnes fratres preterquam priores provinciales ubique et magistri et baccalarei in theologia et priores conventuales et fratres, qui generalium aut provincialium capitulorum fuerunt diffinitores, quando tamen infra suam provinciam discurrerint, per litteras testimoniales infra unam diem presidenti in conventu, ad quem eos contigerit declinare, ostendere teneantur; adiicientes predictis, quod in loco, ubi conventum habemus, fratres quicumque in villa non comedant aut iaceant quoquo modo, nisi de prioris vel presidentis illius conventus licencia speciali, quam eis dare prohibemus absque causa multum necessaria et urgente. Quod si quis contrarium attemptaverit, in virtute sancte obediencie precipimus presidentibus supradictis, quatenus tales fratres habeant arrestare, quousque penitentiam gravioris culpe fecerint; quam si ferre recusaverint, eos omni voce privamus penitus ipso facto.

Item. Cum ordo noster semper ex institutione studuerit ecclesiarum prelati reverentiam impendere et honorem, iniungimus districte fratribus universis, quatenus de huiusmodi prelati modo aliquo obloqui aut eis detrahere non presumant. Si qui autem in ipsorum detractorem laxaverint linguam suam, et ad eorum noticiam relatione pervenerit fide digna, ipsique iusticiam de hoc facere peccerint, volumus et mandamus, quod prelati ordinis, quibus querela proposita fuerit supradicta, detractores huiusmodi compellant pene graviori culpe debite subiacere.

Item. Cum studium et sciencia, quod dolentes referimus, labatur ubique nimium evidenter, volumus et ordinamus, quod exceptis lectoribus studii generalis nullus ponatur in conventu aliquo pro lectore nec mittatur extra suam provinciam ad studium aliquod generale, nisi prius per litteratos et probos fratres per priorem provincialem et diffinitores capituli provincialis vel eiam per provincialem solum, si occurrerit talis casus, ad hoc specialiter deputatos, prius examinati fuerint diligenter ac secundum eorum conscienciam pro tali lectoratu vel studio ydonei et sufficientes fuerint iudicati.

Item. Volumus et ordinamus, quod bona illorum fratrum, qui propter sua demerita carceri sunt perpetuo iudicati, illis conventibus applicentur, in quibus inclusi detinentur, ut sic ex eis valeant predictorum necessitatibus providere. Idem dicimus de apostatis, quorum bona provincie usibus seu conventibus secundum morem provincie applicentur.

Item. Cum fraudes et dolose convenciones sint in electionibus penitus resecande, volumus et ordinamus, quod prioris provincialis electione instante, priores conventuales illius provincie, qui dicti provincialis extiterint electores, nisi pro causa criminis vel scandali per quemcumque nullatenus absolvantur.

Item. Omnibus prioribus provincialibus et conventualibus expresse iniungimus et districte, quatenus nostri ordinis constitutiones et statuta faciant in suis provinciis et conventibus per penas in eisdem positas et taxatas, quantum poterunt, observari. Et hortantes monemus in domino, et monentes [precipimus] propter tantum religionis lapsum aliquo modo reparandum, quod ubique cernitur manifeste, quod non se reddant faciles ad dispensandum leviter in predictis. Volumus insuper et ordinamus, quod presidentes in conventibus infra quoslibet duos menses tocius anni, presentibus omnibus fratribus, dictas constitutiones semel faciant in mensa legi integraliter et perfecte.

Item. Volumus et omni districtione, qua possumus, inhibemus prioribus provincialibus et capitulorum provincialium diffinitoribus, ne aliquem studentem de sua provincia a studio generali redeuntem promoveant ad aliquod officium ad studium pertinens, nisi secum deferat litteram testimoniam a lectore, bachalario sentenciarum et a magistro studencium, quod bene secutus fuerit scolas eorum et actus scholasticos exercuerit diligenter, imponentes predictis, quod omni affectione postposita, verum deponant et fidele testimonium de eisdem. Quod si fuerint inventi, verum testimonium non dedisse scienter, sciant se a suis officiis absolvendos.

Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus ordinis universis, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis existat, ad Romanam curiam accedere presumat nec exeat conventum occasione ad dictam curiam accedendi nec in eadem curia stet sine eiusdem magistri licencia speciali; de qua per litteras predicti magistri suo provinciali aut vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem, et in curia Romana procuratori ordinis eandem fidem facere teneatur. Qui vero contrarius fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse; quam sentenciam excommunicacionis dictus magister ordinis coram diffinitoribus protulit, videlicet in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sententia sibi retinens et reservans.

Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis eorumdem, quod pro negociis ordinis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit insuper priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum necessitatibus videbitur expedire.

Postquam vero fratres de licencia, ut premititur, ad curiam venerint, infra tres dies a procuratore ordinis statuta et ordinationes in dicta curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Item. Denunciamus provinciis ordinis universis, quod si eis videbitur, in sequenti capitulo generali petant capitulum generalissimum celebrari, et assignent causas ad hoc racionabiliter inducentes, prout ordinis conservacioni viderint expedire.

Item. Ordinationem capituli immediate preteriti de manicis ampliandis in tunicis, et de bottonis in eis non portandis, et de quantitate capuciorum, cappe et vestium qualitate seu preciositate reformandis, cum penis ibi appositis simpliciter confirmamus, addendo predictis, quod constitucio, que dicit, quod vilitas in cappis observetur, per omnes fratres totaliter teneatur<sup>1</sup>.

Item. Ordinationes capituli generalis Montispezzulani immediate preteriti de non comedendis carnibus extra conventum, et de non equitando, et de non tenendo equum vel equitacionem sine licencia speciali, et de non faciando pictancias quascumque in principio lectionum, et de diligenti sequela scholarum; item de tuta sororum nostri ordinis clausura; item de non mendicando vel procurando aliquod officium infra ordinem per personas seculares, et de non litigando in iudicio exteriori, et de non tradendis pecuniis vel iocalibus in manus cuiuscumque secularis vel persone extra obedienciam ordinis constitute, et de non tentando amocionem fratris de

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 334 l. 3 sqq.

provincia aliqua vel conventu, titulo prodicionis seu sedicionis cuiuscumque cum omnibus clausulis seu condicionibus ibi positis innovamus et de certa sciencia confirmamus<sup>2</sup>.

Item. Cum criminosos et eorum complices ac fautores sacrarum legum sanctio eadem pena mandaverit feriendos, volumus et ordinamus ac prioribus provincialibus et ceteris presidentibus districte imponimus et mandamus, quod si aliquem fratrem invenerint, qui per scripturam vel alio quoquomodo fratri alteri ad carcerem vel inclusionem iudicato scienter revelaverit, quod hoc fieri debeat, ut sic fugiendo deludat ordinis disciplinam, vel eciam qui iam incarceratum vel inclusum ad fugam temptaverit vel procuraverit liberari, mox tales, sicut dictum est, delinquentes absque dilacione loco fugitivorum predictorum carceri non differant mancipare.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod diffinitores huius anni rogaverunt patrem magistrum ordinis, quod nulli fratri pro aliquo studio extra suam provinciam licenciam concedat, nisi prius de eius vita et sufficiencia a suo priore provinciali testimonium habuerit fide dignum, quod dictus pater promisit totaliter observare.

Item. Gracias omnes exemptorias a choro et refectorio et de cameris tenendis extra commune dormitorium et de intrando civitatem seu exeundo conventum sine licencia speciali presidentis, et de successione bonorum quorumcumque fratribus concessas quibuscumque per magistrum ordinis sive per priores provinciales, sub qua sint concessae forma verborum, simpliciter revocamus, eciamsi in eis dicatur, quod talis gracia non possit revocari, nisi expressa et specialis fiat mencio de eadem.

**Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: In capitulo de domibus concedendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno propter fratrum obitum dictus numerus fuerit diminitus, quod intelligatur ille annus propter pestilenciam communem preteritam, quousque per fratrum ad ordinem receptorum sufficientem multitudinem tantus possit reparari defectus, ad quod priores provinciales dare volumus operam efficacem.

Item. Declaramus, quod transgressoribus scienter suorum maiorum obediencie preceptorum potest et debet imponi pro huiusmodi transgressione per presidentem pena culpe gravioris.

Item. Declaramus in capitulo de professione, quod in ipsa professionis forma, que in nostris constitutionibus est inserta, si ordo tunc temporis habuerit magistrum, nomen proprium ipsius magistri, prout moris est, exprimatur; si vero ordo illo tempore magistrum non habuerit, talis profitens presidenti obedienciam promittat vice magistri ordinis absque expressione nominis cuiuscumque.

Item. Declaramus, quod provincie vel conventus teneantur prioribus provincialibus vel conventualibus in expensis, quas pro impugnantis appellacionibus et malignorum turbacionibus et sedicionibus resecandis in curia Romana vel alibi fecerint propter ordinis tuicionem et eius iusticiam defendendam.

Item. Declaramus, quod ordinationes et precepta magistri ordinis et priorum provincialium post eorum mortem vel amocionem, quousque per eorum successores viribus vacuentur, in sua remaneant roboris firmitate. Idem dicimus de graciis factis per eosdem, exceptis duntaxat exemptoriis quibuscumque.

Item. Ad cautelam declaramus in capitulo de diffinitoribus capituli generalis et provincialis, quod diffinitor, qui in aliquo diffinierit capitulo generali, in alio capitulo generali immediate sequenti non poterit modo aliquo diffinire, prout expresse in nostris constitutionibus continetur.

Item. Declaramus, quod conventus insule de Chio ad provinciam Grecie noscitur pertinere.

Expliciunt declaraciones.

Expliciunt acta capituli generalis in Castris celebrati anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lii<sup>o</sup> ·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCIV.

<sup>2</sup> Cf. supra pag. 333 l. 1 sqq.